

www.e-rara.ch

**Grammatica religiosa, quae pie docet declinare a malo, & facere bonum,
amplecti perfectum in praesenti, & respuere imperfectum, ad
obtinendum futurum infinitum, cum participio salutis**

Abraham

Salisburgi, 1691

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25335>

Sermo, de ambitione.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



S E R M O,

DE

Ambitione.

Nec possum in monte salvari, nè fortè apprehendat me malum & moriar;
Gen. 19. v. 19.

PARS PRIMA.

I. **Q**uemadmodum Superbia humilitati contrariatur, ita & ambitio quæ secundum D. Thomam est dignitatis & honoris inordinatus appetitus. Porro quis satis explicat, in quænam mala se ambitiosi præcipitant? Imprimis enim conscientiam lædunt, devotionem, & internam quietem amittunt, multis internis cruciatibus se subjiciunt, & quod omnium terribilissimum est, quàm plurimis æternæ salutis perdendæ periculis se exponunt. O quotquot enim non ambitio ex alto honorum & Prælatorum apice ad ima inferni detrudit! Nam, ut testatur S. Chrysostomus, quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cælo, & inter servos Christi non computabitur, qui de primatu tractaverit. Rationem verò hujus assignat Didacus Stella in verbis: Difficile est stare in alta dignitate, & carere cogitationibus elatioribus; Ergò cum DEUS magna de se sentientibus resistat, & ambitiosi tales esse demonstrentur, benè inferre licet, quòd hi à DEO in miseriarum abyssum præcipites agentur secundum illud Luca. *Et tu Capharnaum usque ad calum exaltata es, sed usque ad infernum demergèris.* Experti hoc Religiosi illi, de quibus Antonius Senensis in Chronicis Ordinis Fratrum Prædicatorum scribit: Quòd circa Annum Domini 1570. in Conventu quodam acciderit, ut post Completorium refectiois locum frater ingrederetur, cui erat illius cura commissa. Qui mox in ingressu videt illum fratribus circumquaque refertum, & illi cappas habebant indutas, &, tanquam hora esset collationis faciendæ, & illam expectarent, sedebant, Quo viso frater sine mora ad Priorem cucurrit, & illud ei aperit, Prior fratrem delirum putat, & somnia narrantem, attamen dum urgetur, vadit, videt & credit; & ille quoque turbatur, & rem mox confert cum gravioribus Monasterij Patribus & Prudentioribus, de quorum consilio sacras vestes affumit, & sacrum Christi Corpus deferendo, toto conventu comitante se illuc confert, & ad illum sermone directo, qui honoratori loco sedebat, eos adjurat, ut aperiant, quinam sint, & ad quid venerint, &

Par. 1. 6.
25.

C. 10. v.
15.

Historia.

quid vellint; & ut ad hæc respondeant, illis præcepit in nomine illius Domini, quem gestebat in manibus. Tunc ille, qui cæteris præesse videbatur, respondens dixit; quod ipsi omnes fuerant ejusdem ordinis Religiosi, & pro majore parte Magistri, Priores, Supprieores, Doctores, Baccalaurei, Lectores & alijs officijs donati, & quodquod omnes damnationis sententiam acceperant, quoniam ambitio multa, superbia, invidia, & alia hujus generis vitia eos fecerant damnatione dignos: sed quod divinâ permittente clementiâ jussi fuerant illuc venire, ut eos & univerfos ordinis cultores commonefacerent, ut suæ vocationi facerent satis. Nam illi, qui minimè id præstiterant omnes damna ierant, & flammis cremebantur æternis; & in signum hujus omnes suas tunicas aperuerunt; & singuli eorum flammis circumcincti & incensi visi fuerunt, & tunc idem præcipuus manu in mensa signum dedit, & sic illa visio evanuit, & totus conventus mansit timore horrorèq; consternatus.

2. O si hi non ita ambiissent religionis officia, vel oblata respuissent, profectò, ut credibile est, non tam horribiliter æternæ damnationis sententiâ fulminati fuissent; Ergo qui cum miseris hisce cænobitis intolerabili incendio æternum conflagrari exhorrescit, nè sequatur eorum pravum.

C. 16. V. 15. exemplum ad alta videlicet aspirando. Nam ut S. Lucas ait: *quod hominibus altum est, abominatio est ante DEUM.* Verum enim verò ambitio seu prælatio non solum est ruïnosa, ut ex dictis facilè patet, sed est ipsa

Psal. 72. ruina ut de istis ad DEUM loquens, sic Psalmista dixerit: *Defecisti eos,*

v. 18.

L. 1. in. *dum allevarentur.* Quæ verba S. Gregorius considerans, notat non dixisse Prophetam, *defecisti eos, postquam elevati sunt,* quo pacto elevatio ruïnosa intelligeretur: sed *dum allevarentur,* quia pravi, inquit, dum temporali

dist. 9.

Epist. 5. honore suffulti, foras videntur surgere, intus cadunt; allevatio ergo ipsa, ruina est, quia dum gloriâ falsâ subnixi sunt, à gloria vera evacuantur.

Psal. 36. Hæc Greg: Idem autem Propheta Regius sic dicit, *Inimici verò Domini,*

v. 20.

mox ut honorificati fuerint, & exaltati, quid eis eveniet: sequitur. *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* Videat ergo quis, quomodo eandem veritatem ostendat similitudine fumi, cujus ipsa in altum elevatio, ipsius dispersio est, & evanitio, & quò plus in altum tollitur, eò magis dispergitur: Ita malis & non vocatis à DEO ad Prælaturam contingit, ipsa exaltatio illis ruina est, & depressio saltem in oculis DEI, qui in æternum illos detrusurus est ad infernum. Proindè idem Gregorius verba ista considerans, sic ait: Fumus quidem ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit, sic videlicet fit, cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, quia unde ostenditur, ut altus sit, inde agitur, ut non sit.

3. Hinc ut tanto malo ex ambitione provenienti aditum sacræ Constitutiones nostræ præcluderent, sanciunt, ut omnes profiteri volentes quartum votum, scilicet humilitatem contra hunc virulentum hostem, videlicet ambitionem emittant, per quod votum, ut noster P. Ignatius fuscè

expli-

explicat, omnes obligantur sub peccato mortali, ne ullum officium sive extra sive intra Congregationem ambiant, quod dari solet per electionem etiam non canonicam, uti sunt officia Discretorum & Examinatorum Conventus. Igitur dum quis hæc officia prærendendi tentatione pulsatur, tunc illa Genesius verba, ut inexpugnabile scutum assumat & dicat: *Non possum in monte* (id est in Prælatuta salvari) *ne inveniatur me malum & moriar* morte peccati, ideo prius quamcunque officiorum excellentiam omni studio declinabo. Cæterum quod hic notandum occurrit, est, quod non solum periculosa & ruinosa sit Prælatuta malis & ambiosis, sed insuper bonis & à DEO vocatis. Quod clarè ex scripturis divinis & Sanctis Patribus demonstratur. Constat hoc ex canticis, ubi anima fidelis Prælati & boni ad Prælatutam vocati hoc agnoscens & plangens dicit: *Posuerunt me custodem in vineis*, & quid secutum inde sit, subjungit; *Vineam meam non custodivi*. Divus Gregorius verba ista exponens, dicit, per vineam intelligi actionem nostram factam in utilitatem animæ propriæ, quæ impeditur, dum per prælationem aliorum attenditur actionibus, sed custodes, inquit gloriosus Doctor, in vineis positi nostram vineam non custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus.

Cant. 1. v.
6.

4. Præterea etiam non incommode per hanc vineam anima propria intelligi potest, ut intelligitur Verbis illis Isaïæ. *Vinea facta est dilectio mea & expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas*. Idem igitur est dicere, *posuerunt me custodem in vineis*, ac dederunt mihi curam animarum, dum me elegerunt Prælatum, & emolumentum inde collectum fuit, vineam meam, hoc est, animam propriam non custodire. Et sermo est de vocato seu assumpto, & non se ingerente, ut clarè indicat modus loquendi scripturæ, non enim ait; *posui me*; sed *posuerunt me*. Igitur vocatus fuit custos aliorum, & per hoc desijt esse custos sui: Et ecce periculum animæ etiam in bonis. Et ita intelligit expressè hunc locum Divus Bernardus dicens: Non de vinea sermo est, sed de anima, Ergo anima cogitetur, cum vinea legitur. Talis custos olim erat Adrianus Sextus, qui pericula animæ in hac aliorum custodia benè perspexit, cum enim vice quadam interrogaretur, quod supplicium capitali hosti imprecaretur? Pontificatum respondit. Hinc tale ei Epitaphium factum est:

Ser. 30.
in Cant.

Adrianus Sextus hic situs est.

Qui nihil sibi infelicius, quam, quod imperavit, duxit. Item Leo Nonus ad extremum vitæ redactus Confessario suo in aurem dixit: Quam melius fuisset mihi, si monasterij, quam si cœli claves tenuissem. Simile quid Paulus Tertius Summus Pontifex dixit, nam animam agens sanctè asseverabat; mallem me subjecisse coco Familæ Capucinatorum, quam hanc DEO proximam dignitatem decennio sustinuisse.

Beyrling
Apoph.
fol. 477.
Engelgr.
Dom. 16.
post Pent.
§. 21

5. Si porrò tanti viri doctrinâ & sanctitate conspicui & à DEO singulariter electi, nihilominus sub Pontificatûs onere ita ingemuerunt, ut potius maluissent se fuisse janitores, & cocos, quàm Pontifices, signum evidens est, quò aliqua dignitas seu Prælatura eminentior est, eò magis animæ periculis subjectior demonstratur. Hoc probè noverat S. P. N. Augustinus, qui non gratis in regula dicit: Quanto in loco superiori, tantò in periculo majori versatur, inferens periculum ex superioritate, & majus ex prælatione majori, & sermo est de bono & timorato Prælato, de quo paulò superius dixerat: Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem, timore coram DEO substractus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Loquitur ergò de bono, interiùs & exteriùs, & tamen in periculo majori animæ dicit esse, & ex hoc miserum affirmat, præcipiens, ut illius misereantur subditi dicens: *Ipsius miseremini*. Non enim miseratio est, nisi in miseria existentis. In miseria, inquam, est, qui in officijs constitutus est; nam amabò, quænam major miseria, quàm peccatis omnium malorum gravissimis malis subjacere? At in prælatione constituti plerumque his malis subjacent, ut jam probatum. Quod etiam affirmat D. Thomas, dum per hæc excurrit verba: Qui magnæ potestatis reputantur, frèquenter in se infirmiores sunt ex parte animæ, quia minùs potentes sunt resistere diabolo & vitijs. Et paulò infra sic ait, idem confirmans. Status ille periculosus est quantum ad animam, quia difficilè est in statu illo carere peccato. *Iste r* cum constet, quòd peccata futura, quàm sæpissimè in pœnam peccatorum præteritorum à DEO justo vindice permittantur, ideò benè inferre licet, quòd Prælatio sæpè sit pœna peccatorum præteritorum. Et hanc veritatem itidem gloriosus Doctor his verbis docet: Potestas terrena, quâ homo super alios homines est, non est res naturæ, sed sequella culpæ.

In opu
scul. l. 1.
de Erudi-
tione Prin-
cip. l.

Loco cit

Hom. 34.
ad illaver-
ba Hebr.
13. ipsi
pervigil.
In medio
Chr. c. 12.

6. Si ita est, quòd Angelicus Doctor docet, quàm stultum ergo est altas affectare dignitates? Profectò quicumque demum ille sit, qui ad prælationem aliquam etiam intra religionem acquirendam aspirat, aut oblatam læto amplectitur animo, cæcus esse & omnis salubris timoris expers convincitur. Præsertim cum S. Chrysostomus hoc idem periculum quòd in Prælaturis est, considerans, prorumpat in hæc notabilia verba, *Miror, si posset salvari aliquis Rectorum*. Quòd dictum idem S. Doctor: ostendit quadam similitudine, ex qua satis confirmatum venit, dixitque tam difficilè posse Prælatum salvari, quàm difficilè est juvenem conversantem cum pulcherrima adolescentula non peccare. Quòd dixit his verbis à S. Bonaventura relatis. Tale quid est, uti benè honoribus, ac si aliquis cum puella speciosissima conversetur, & leges accipiat, ne ipsam unquam oculos injiciat impudicos. Quis erit, quæso, qui se contineat? ergo & quis erit in prælatione, qui à peccato se abstineat?

nam

nam ex tanto S. Doctore hæc se pariter habent. Hinc est quod D. Bernardus considerans verba ad Romanos 11. Noli altum sapere, dicat, in alto positum, non altum sapere, difficile est, & omnino inusitatum. Proinde appellatur ab illo ambitio. Virtutum ærugo, tinea Sanctitatis, excæcatrix cordium; Quia nimirum honores, in quos tendit, hominem etiam illuminatum excæcant, & virtutibus & Sanctitate evacuant. Unde Sapiens dixit: *Qui minoratur actu*, hoc est, qui non attendit vitæ activæ per aliorum curam, *percipiat Sapientiam*, quâ salvus fiat. Et cum argumentum ab opposito valeat, qui non minoratur actu, evacuabitur illâ, & per hoc damnabitur, proinde non mirum, si vocatur magna miseria, quæ detrudit hominem in æternam miseriam. Si ergo tam sollicitè fugitur miseria corporis temporalis, quare non magis fugitur miseria animæ æterna? Hinc concludens S. Bernardus dicit. Tu ergo si rectè sapias, si tecum lumen oculorum est, desine sequi, quod consequi miserum est. Igitur mi chare frater fuge & declina quantum poteris officia, nam in loco humili securius salutem consequeris æternam. Sed cum non ignorem te affici historiis ad hanc materiam spectantibus, igitur ut Voto tuo faciam satis, subjungam in parte sequenti aliqua Exempla, quæ simul nunc jam dicta & confirmabunt & ulterius & copiosius declarabunt. NB. *Quæ his in duobus foliis dicta sunt, fusius reperientur apud P. Ignatium in turri salutis.*

Epist. 47.

Bernard.
ser. 6. in
Psal. 90.
Ecccl. 38.
V. 25.

PARS SECUNDA.

7. Primum itaque Exemplum videmus in Saule, de quo sic dicit S. Gregorius: Saul ab humilitatis merito, in tumorem Superbiæ culmine potestatis excrevit, per humilitatem quippe Prælati est, per Superbiam reprobatus Domino attestante, qui ait; nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël, parvulum se ante potestatem viderat, sed fultus temporali potentiâ, jam se parvulum non videbat. Hæc Greg. Quod confirmat commune illud dictum: Honores mutant mores, sed raro in meliores. Alterum conspiciere licet in Juda, de quo sic quærit Gerson: Cur Dominus Judam, quem casurum sciebat, elegit in Apostolum. Ego, inquit, duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? Respondi, quæstionem istam esse unam de illis, quas intuens Apostolus, reverenti silentio præteriens honoravit exclamans, O Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ &c. Hoc unum scimus, quod in Juda non causavit DEUS improbam voluntatem proditionis sceleratæ in esse malitiæ, attamen ipse hæc malâ voluntate benè usus est, tanquam DEI Sapientia attingens à fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suaviter. Corripitur hic stulta ambitio cordis humani proruens impavidè ad culmina dignitatum, quem honorem homo etiam vocatus, etiam electus à DEO non tutè, neque sine multo cadendi discrimine suscipit; Testimonio sunt Judas, Saul, plurimique alii. Hactenus Joannes Gerson.

Ad illa
verba Job
36. Deus
potentes
nō abjicit.
1. Reg. 14.
V. 17.Ser. ad
Ecclesia-
sticor cau-
tel. confid.
4. circa fi-
nem to. 24

son. Si ergo legitimè ad aliquod officium electi & à DEO vocati in tali animæ periculo constituti sunt, quid, quæso, non continget ambitiosis, qui spontè se ad talia ingerunt? Fugiat ergo quisque ascensum timens casum.

8. Enim verò ad prædicta magis stabilienda inservire nobis poterit pertinens prodigium de Udone Archi-Episcopo, de quo plures Authores meminerunt. Seriem autem totius historiæ recenset Author, qui se vocitat discipulum, hisce verbis: Erat in civitate Magdeburgensi in Saxonia juvenis nomine Udo, qui liberalibus litteris infudabat, qui propter ingenij duriciem cum nihil posset proficere, & sæpe à suis Magistris verberibus castigaretur, adivit acceptis in Schola plagis Ecclesiam S. Mauritij, ubi ferventissimas ad B. Virginem preces fundebat, rogatis ut per intercessionem S. Mauritij se exaudire, sibi que scientiæ donum elargiri non recuset. Hic in prece positus aliquantulum obdormivit, cui protinus B. Cælitum Regina apparens ait; Audivi orationem tuam, & non solum munus scientiæ tribuo, verum etiam Archi-Episcopum te futurum esse significo, sed cave, nè in hac dignitate positus malè vivas, aliàs lues & in anima & in corpore, his dictis B. Virgo disparuit. Juvenis evigilans more solito lectionem repetivit, & propter suam doctrinam omnibus admirationi fuit. Post biennium defuncto Archi-Episcopo omnibus votis in successorem electus, & aliquamdiu laudabiliter vixit. Sed quia honores mutant mores paulatim à DEI servitio declinans ad sceleratissimam vitam devenit, facultates Ecclesiæ dilapidavit, Virgines sæculares, nec non sacratas Christi Sponsas violavit, omnibus denique suis cupiditatibus habenas laxavit.

Proh dolor! cum multorum annorum curricula prædictus Archi-Episcopus aërem, mundumque suis sceleribus corrupisset, & dum nocte quadam secum in lecto Abbatissam ex cœnobio regali ordinis Cisterciensis haberet, audivit vocem dicentem sibi: Fac finem ludo, quia lusisti fatis Udo. His auditis multis cachinis fœditium suspicabatur, & licet eandem vocem sequenti nocte rursus audiret, non tamen his motus vitam emendavit. Porrò nocte tertiâ cum iterum cum præfata Abbatissa voluptatibus indulgeret, audivit denuo cum ingenti fragore eadem verba: Fac finem ludo, quia lusisti fatis Udo. Tunc enim non nihil commotus ingemuit, at non respuit, corvinum canticum Cras, cras, quidem repetiit, pœnitentiam tamen non egit. Elapsis igitur tribus mensibus, Canonicus Nomine Fridericus in Ecclesia manens, multis DEUM precibus sollicitavit, ut vel è medio Udonem tolleret, vel in melius commutaret. Preces hæ pondus habuerunt, & ecce terribilis hæ visio ipsi contigit. Venit validus ventus, omnesque Ecclesiæ lampades extinxit. Postmodum venerunt duo Juvenes cereos duos gestantes

Historia.
Discipul.
Basil. Ful-
gos l. 9.
cap. 12. In
Magno
speculo
exemplor.
dist. 9. e-
xemplo:
176.

stantes & ad Altare procedentes, qui hinc inde juxta cornua altaris steterunt. Post quos ingressi sunt alii duo, quorum unus tapetia ante Altare decenter stravit, alter verò duas cathedras aureas desuper collocavit, post illos alter quidam solus intravit, qui velut pugil strenuus incedebat evaginatam tenens gladium, & stans in medio Ecclesiæ validè clamabat, dicens: O omnes Sancti, quorum Reliquiæ hîc habentur, surgite & venite ad Judicium DEI. His auditis apparuit maxima multitudo & perfulgida utriusque sexûs, & hi omnes chororum intraverunt, & secundum ordinem hinc inde se collocarunt. Apparuerunt etiam viri duodecim, in quorum medio gradiebatur quidam Sole splendidior, regio diademate & sceptro adornatus, & hi erant Apostoli & JESUS Christus, quem mox, ut viderunt, devotè adoraverunt & super cathedram eum sedere fecerunt. Affuit etiam Regina Cœli, lunâ & stellis clarior, quam lucidissima turba Virginum sequebatur, quam etiam omnes Sancti honorarunt, cui Christus mox occurrens, & ejus manum apprehendens juxta se collocavit. Postremò S. Mauritius Dux gloriolus cum sua Legione 6660. advenit, & omnes se prosternentes JESUM Christum adorarunt dicens: O Æquissime Judex da Judicium, quibus ait; Scio quid quaeratis. Afferte Udonem Archi-Episcopum, quare mox quidam ex astantibus abierunt, & miserum Udonem de latere Abbatissæ extraxerunt & miserabiliter adduxerunt. Quem S. Mauritius severius intuens, dixit: Domine mi, æquissime Judex, judica justè. Ecce iste Udo non est Episcopus, sed lupus, non pastor sed raptor & mactator gregis tui, iste est, cui Domina Mater tua scientiam donavit, & hanc Ecclesiam commendavit prædicans ei. Si benè vixeris vitam perennem habebis, sin autem malè in corpore & anima morieris. Iste admonitiones omnes sprexit, & hanc aliasque Ecclesias profanando ad nihilum redegit, imò Sponsas tuas sæpe turpiter vitiavit, ergo judica justè. His auditis Dominus judicio præsidens, Sanctosque respiciens ait: Quid vobis videtur de isto? Pugil autem supradictus voce magnâ clamabat dicens: Reus est mortis. Tunc Judex ait; caput amittere meruit, quia sine capite in sordibus vivendo computruit. Sed cum Pugil ad amputandum Udonis caput dextram levasset, clamavit quidam ex circumstantibus dicens: Contine manum tuam, donec ab eo Reliquiæ auferantur. Tunc multis vicibus fuit collum Udonis percussum, & ad quemlibet pulsus hostia polluta per os in calicem ad hoc paratum exiens corruit, quas diligenter Christus excepit, ac lavit, & super altare in calicem posuit, & cum sua turba recessit. Hinc sæpe dictus Pugil miserum Udonem decollavit, sicque tota illa congregatio disparuit.

Canonicus autem supradictus stupens & tremens, in cripta lumen reperiens omnes lampades reaccendit, & accendens locum Judicij vidit calicem cum hostijs super Altare, & Caput Episcopi à corpore lo gius
proje-

projectum, nec non pavementum sanguine madefactum. Tunc exclamare cœpit; ô triste spectaculum! ô grande miraculum! & ô verè tremendum iudicium! O quàm horrendum est incidere in manus DEI Viventis! Post hoc omnes fores Ecclesiæ diligenter observavit, & potiores Clericos ac Laicos convocavit, & januas referens Udonem Archi-Episcopum in suo sanguine tabefactum ostendit, cunctaque quæ viderat, per ordinem enarravit.

Eodem verò die quidam ex ejus Capellanis Bruno nomine, cùm legationem sibi commissam peregisset, ad civitatem continuo famulis ante se præcedentibus remeare studuit. Interim gravi oppressus somno, umbrosam quandam arborem conspexit, quare de equo descendit, & frænum ad brachium alligans ibi obdormivit. Et ecce maximus immundorum Spirituum numerus cum tubis & tympanis, gladijs & fustibus, lanceis & securibus ad eundem locum properabat. Tunc uni ex illis staturâ proceriori, & vultu terribiliori illorum scilicet Principi Solium construxerunt, eumque desuper posuerunt. Nec mora altera cacodæmonum turba clamans cachinasque apparuit, de qua aliqui aquilis velocius præcesserant vociferantes: Date locum, date locum, ecce Princeps noster Udo appropinquat. Moxque ejus animam Satellites Satanz suo Principi deduxerunt, cui protinus Satan assurrexit salutans eum verbis pacificis in dolo, benè, inquit, venisti ô Princeps & dilatator regni nostri. Ecce parati sumus pro meritis tuis tibi reddere mercedem. Cùmque Udo ad hæc obmutesceret, Satan ait; Fatigatus es dilectus noster huc veniendo, date ergo ei manducare, & protinus butones & serpentes ori ejus violenter impresserunt, & liquerum Sulphureum postmodum ipsi infuderunt. Adhuc illo non loquente, Satan præcepit dicens: Ad balneum Principum talis Princeps deducatur, statimque ad puteum ære plumboque liquatum eum præcipitem egerunt, inde extrahentes in modum ferri candentis; totum igneum suo Principi detulerunt. Cui lubricus dixit: Nonne suave balneum habuisti ô Princeps noster? Tunc Udo cœpit blasphemare & dicere; Maledictus ô Satan tu & omnis tua familia, maledictus DEUS, qui me creavit &c. Tunc omnes dæmones cæperunt unà cum suo Principe manibus plaudere ac dicere, dignus est iste nobiscum manere, quia peroptimè scit nostrum canticum, mittatur ergo ad principalem Scholam nostram damnatorum, & amplius inde non exeat in sæcula sæculorum. Vix verba finierant, & ecce unanimiter in miseram creaturam irruentes ad tartareum illud barathrum jactando immerferunt. Capellanus autem hæc videns, timuit vehementer, tunc tenebrarum Princeps alijs eum digito ostendens dixit: Videte ne effugiat, Clericus ille, qui nos aspicit, quia sicut sæpe malorum cooperator extitit, ita etiam particeps pænæ fiat, & ad suum Dominum demergatur. Quo dicto dæmones eum rapere volèates, repente è somno

anno exiliens evigilavit, His ejus equus territus hinc inde saltabat miserum hominem trahens, donec à sua junctura ejus brachium penitus diffoivebatur, inde difficulter equum ascendens ad Metropolim venit, & mox ut Dominum suum mortuum esse cognovit, terrorem terrori, judicium judicio, prodigium prodigio cumulavit, omniâque quæ sibi acciderant, enarravit; ostendit etiam suum brachium à sua junctura depulsum, repentinâque canice in signum veritatis opertus fuit. Porro putidum cadaver procul ab Urbe in paludem projecerunt, sed quia propterea incolæ juxta habitantes varijs terroribus affecti fuerint, rursus miseri Udonis cadaver extrahentes combusserunt, & pulveres ad fluvium Albeam abjecerunt, nec mora omnes pisces ad Oceanum redjerunt, & non nisi post decem annos mediantibus multis precibus redjerunt.

9. Quis nunc hanc tragœdiam & similes alias contemplans negare, audeat non maxima in Prælaturis animæ pericula latere, dum videt, quid huic mortalium infelicissimo Udoni in Archi-Episcopali culmine constituto acciderit, qui tamen scientiâ divinitus impertitus & mirabiliter omnium suffragiorum consensu non sine evidenti DEI nutu ad Episcopalem cathedram electus & vocatus fuit. Manet ergo confirmatum bonis & à DEO vocatis, non leve animæ periculum imminere in Prælaturis. Et in hoc salutis discrimine non solum versantur Episcopi, sed etiam Religiosi in suæ Religionis Prælaturis constituti. Nam præterquam, quòd Sancti Patres generaliter hoc doceant, ut ex dictis constare possit, etiam colligitur ex historia fol. 89, de Cænobitis adductâ. Est enim valde credibile, quòd multi ex illis ad illa Religionis officia propter vitæ probitatem, & doctrinæ excellentiam fuerint legitimè electi & à DEO ad hæc vocati; sed quia in his munijs constituti, dum vineis alienis excollendis, idest animabus suorum subditorum operam navarent, vineam suam seu animam propriam custodire neglexerunt, secundum illud Canticorum; *Posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam non custodivi.* Ideò tam miserè sempiternis flammis addicti sunt.

C. I. v. 5.

10. Hæcce dictorum veritas minimè latebat Venerabilem & admirabilem Patrem nostrum Hieronymum à S. Bernardo, qui nobili stemmate oriundus, dum jam Sacerdos esset, intellexit haud dubiè, quantis salutis perdendæ periculis Superiores obnoxij sint. Hinc ut ab his se maturè expediret, & honores & mundum calcaret, atq; nè animæ suæ naufragium faceret, desipere voluit. Undè per septem & quadraginta ferè annos velut fatuus & stultus æstimabatur, & ut talis tractabatur, & tali schemate naufragium animæ suæ evasit (quòd fortassis incurrisset, si in congregationis officijs constitutus fuisset) ac feliciter tandem ad portum beatitudinis æternæ enatavit, dum vitam suam virtutibus plenam nec non mirandis prodigijs coruscantem sanctissimo clausit epilogo Anno 1677. die 25. Octob: ætatis suæ 77. Relig. 58. Quamobrem frater chare, sequere confratrem

tuum, humilia sectando ac honorum fasces calcando; licet autem te fatuum simulare nequeas (quæ gratia perrara est) nihilominus tamen poteris alios excogitare modos, quibus Majestati Divinæ placere, & Congregationis Prælaturas declinare judicas. At ut discursum prosequamur, plura de his in sequentibus.

PARS TERTIA.

Hom. 17.
in Evange

C. 5. v. 15.

In med.
vitæ Chri-
sti c. 45.

Historia.

Faber Con.
1. in festo
S. Jac. n. 2.

Historia.

Arnoldus
apud Dis-
cipulum.

Item Mar-
chant. tub.
facer. to.
3. lect. 5.

II. Quoniam teste D. Gregorio opera & facta Salvatoris nostri præcepta sunt, quia, ut S. Doctor ait, dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus, innotescit. Quare profectò invitamur, ne dicam obligamur, ad omnium Prælaturarum fugam secundum exemplum Christi, de quo sic scribit S. Joannes. *JESUS ergò cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Quæ verba S. Bonaventura considerans, sic dicit; Vides, quanto studio, & cautela fugit, & declinavit Regni honorem. Exemplum nobis dedit, ut & nos similiter faciamus, non enim pro se, sed pro nobis fugit, & motivum explicans subdit; cognoscebat namque quantæ sit temeritatis, si ad honores aspiremus, honor enim de majoribus laqueis est ad captionem, & de gravioribus ponderibus ad animarum subversionem, quam ego cognoscebam. Hæc Seraphicus Doctor. Hoc probè etiam noverat quidam Eremiticola, hinc Juveni cuiusdam cognato suo ad Episcopatum postulato præcepit, ut super mensam primùm, dein in plana terra jacens aliquoties se revolveret, & quænam volutatio securior esset, inde colligeret. Quâ instructione eruditus Juvenis Episcopatum utpote periculis plenum refugit. Dum verò vitæ curriculum emensus esset, post mortem Instructori suo gratias agens apparuit, dixitque: Scito Pater, quoniam nunc essem de numero damnatorum, si fuisset de numero Episcoporum. O quàm verum igitur, alta munia periculis centenis oblecta! Sed pro majore confirmatione alteram huic similem historiam addere placebit.

12. Beatus Ganfredus Clarevallis Monachus electus est in Episcopum, at ille renuit hanc dignitatem suscipere, & ad hoc officium acceptandum nec Eugenij Pontificis, nec S. Bernardi sui Abbatis Imperio flexi potuit, sed fortiter restitit. Non multò post defunctus est, & cuidam suo familiari itidem Religioso apparuit, dixitque: Salvus sum, mihi que feliciter cessit fugâ Episcopatus. Hinc ab altero requisitus de illa inobedientia, si ei nocuum attulisset? respondit non. Et adjecit, si Episcopatum accepissem, æternùm damnatus fuisset, & subjunxit verbum terribile. Ad hoc, inquit, venit, status Ecclesiæ, ut non sit digna regi nisi à reprobis Episcopis. O igitur profunda DEI Iudicia! Quis quæso superiorum hæc audiens non extimescat, expavefeat, expallefeat? Quis rectorum est, qui hæc credit, non mox se suo munere abdicare totis viribus laboret? Et quis denique reperietur hæc benè ruminas, & non cane pejus & angue oblata sibi quæcunq; officia exhorrescat & fugiat?

13. Hinc

13. Hinc non immeritò S. Bernardus Genuensem ac Mediolanensem aliòsque Episcopatus oblatos recusavit. Item S. Thomas Aquinas Archi-Episcopatum Neapolitanum deferente Clemente IV. Pontifice, recusavit. Quid non etiam tentavit (ut fol. 77. dictum) S. Gregorius, ut Pontificalem cathedram effugeret? S. P. N. Augustinus quoque quantum poterat Episcopatum fugiebat, cupiens enim magis in loco humili salvari, quàm in alto periclitari. Marulus etiam narrat, quòd Ammonius Monachus, nè Episcopatù acciperet, ad quem cogebatur, sibi ab imo aurem absciderit, ut sic inhabilis redderetur, & cùm adhuc ita non posset suam in Episcopum ordinationem vitare, populo & Archi-Episcopo instantibus juravit dicens, quia si me coegeritis, etiam linguam meam, propter quam disligitis me, abscindo, quare relinquentes eum recesserunt. Omissis præterea multis alijs exemplis, unum tantùm idemque domesticum adducere libet de B. Thoma de Villanova Ordinis nostri, de quo narrat Magister Salon, quod nominatus in Episcopum Granatensem ab Imperatore Carolo Quinto, constanter recusavit. Et cùm postea Archi-Episcopatus Valentinus vacaret, & Imperator tunc Flandriæ commoraretur, non obstante resistantiâ sibi à B. Thoma jam factâ, in alio Episcopatu, denuo nominat illum in Valentinum, de quo scripsit Philippo Secundo Filio suo, tunc gubernanti Hispaniam in absentia sua. A quo vocatus Thomas, & significatâ ab eo voluntate Imperatoris Patris sui, tenuit Sanctus vir consentire religiosè & constanter se excusans, neque potuit precibus flexi illius Principis, neque Magnatorum suorum, nec etiam Cardinalis Tolentani idem suadentis. Undè consultum fuit inter ipsos, ut mitterent ad Provinciale Ordinis, qui præcipiens sub excommunicatione latæ sententiæ, quod intra viginti horas acceptaret Provisionem factam, hoc modo coactus timorata conscientia obediens vir, muneri assentit, quod multis lachrymis evadere conabatur. At quod memoriæ modo subit, est, quod scribit Surius de S. Petro Damiano, quòd magis ad Cardinalatum tractus fuit quàm vocatus. Cùmque Stephanus Papa ipsum creaverit Decanum Sacri Collegij Cardinalium, & Episcopum Ostiensem, spontè tamen renuntiavit, ut le totum DEO & rerum divinarum contemplationi traderet. Cùmq; à Nicolao Pontifice Maximo ad eas iterum dignitates assumendas cogereetur, ipsèque constanter renueret, Pontifex assentit, quidem ejus perseverantiæ, sed tamen pœnam in eum centenariam constituit, quâ tenebatur ad recitandos per centum annos quotidie centies verberibus adjunctis Psalmum 50. Subivit hanc pœnam libenter Petrus, tantusque in eo fuit ardor pœnitendi, ut eam annuo spatio exhausserit. O res inaudita! & nisi DEUS Mirabilis esset in Sanctis suis, quis crederet, quòd homo per 24. horas & non tantùm uno die omnibus diebus unius anni ultra 10000. vices repetere posset Psalmum 50. verberibus insuper adjunctis? Et nihilominus S. Petrus hanc rigidissimam pœnitentiam libentius,

tius, peragere, quam oblatas dignitates acceptare voluit. Hinc ergo profectò colligere est, quantanam animæ pericula in Prælaturis recondita sint, alias certò non ita Viri Sancti Spiritu Sancto pleni easdem refugissent. Quapropter frater chare ex positis fac tibi arma ad contemptum honorum, qui corpus affligunt & animam non rarò ad æternum supplicium detrudunt, & cogita Exempla, exhortationes esse ad operandum, & non solùm ad speculandum, & hunc esse finem, propter quem DEUS in Ecclesia sua vult illa posteritati tradi.

C. 6.

14. Cæterùm, quòd aliquem etiam à Prælaturis absterreæ posset, est, quod dicit Sapiens his verbis: Judicium durissimum in his, qui præsumunt, fiet. Si igitur aliud non esset, quam quòd DEUS dicat Prælatos severissimè judicandos, vel illud sufficeret ad Prælaturas & dignitates fugiendas. Cras ultimum vitæ diem ages, & Sacra Scriptura quæ fallere nequit, dicit te rigidissimè judicandum. Quid formidabilius? quid terribilius? Credis hoc, vel putas esse jocum, quod dicit Spiritus Sanctus? Si Christianus es, & credis DEO, quid tam es insensatus, ut severissimè velis judicari? Cæcitas est inaudita, error est intolerabilis, hominem fragilem, velle cum DEO rigidum ipsius iudicium intrare. Hoc vis, cum cupis esse Prælatus & alijs præferri. Porrò etsi multæ rationes assignari possint, ob quas Superiorum iudicium durissimum fiet, nos tamen brevitate ergò unam tantum ex his, quas Noster P. Ignatius in Turri Salutis fol. 612. fusè explicat, in medium asseremus; quòd videlicet hoc iudicium terribile erit ex parte rei iudicatæ, quia non solùm frater chare operum tuorum, sed aliorum etiam, qui tibi commissi fuerunt, reddes ibi rationem strictam, tam malorum, quæ commiserunt, quam bonorum, quæ omiserunt, & facere tenebantur: Et sic Prælatus Religiosus rationem reddet, jejuniorum & abstinentiæ ruptorum ab illo & illo. Quod ille in chorum ire omiserit, silentium neglexerit, clausuram fregerit, per Conventum vagando extra cellam, vel per civitatem extra claustra sub colore quæsito, & à Prælato non examinato, & similia. Enimverò horrorem istius rationis reddendæ pro alijs significat S. Paulus, dum dicit: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*, & obsequij hujus rationem reddit, dum subdit: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Quasi diceret, est adeò magnum onus, quod portant iudicij terribilis subeundi pro animabus vestris, quòd oneri tali justè debeatur tale obsequium. Undè dicit ibi S. Chrysostomus; periculum etiam super caput ejus imminet, subjectus est ultionibus peccatorum tuorum, & propter te tanto timori obnoxius; Quoniam ipse DEUS per se ipsum, & non per alias rationem hanc exacturum se dicit: *Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum.*

Heb. 13,
v. 17.Ezech. 34,
10.

15. Hinc non immeritò S. P. N. Augustinus, ut Prælatus in timore contineatur, in regula ordinat, meditationem hanc semper habere dicens:
Semper

Sempor cogitans DEO se pro vobis redditurum esse rationem. Et in litteris patentibus, quæ dantur Prælato sui officij. Judicium hoc ex eadem causa intimatur illi his verbis tremendis: Ejus conscientiam in diem Domini onerantes, ut temporalia suppeditando, & perfectioni regulari animarum, tanquam rationem Domino redditurus, indefinenter invigilet. Ubi verbum *indefinenter* respondet verbo *semper*, quo S. Pater in regula utitur. Videat modo Superior, quomodo satisfaciatur obligationi meditationis istius, qui nihil minus cogitat, quam de reddenda ratione inevitabili de officio suo, DEO judici in die extrema. Et est hic timor ita rationabilis ut ostensum est, & exempla Job, quod S. Apostolus Jacobus hoc solum motivum judicaverit sufficiens & efficax ad Prælaturam fugiendam dicens: *Nolite plures Magistri fieri fratres mei, scientes quoniam major Judicium sumitis.* C. 3. v. 1.

16. Et licet præterea quis effugiet in hoc judicio damnationem perpetuam, si adhibitâ omni possibili diligentia peragere studet, quod sui muneris est, vix tamen ita in officio suo tam perfecte se geret, quia aliquas peccati maculas contrahat, ob quas in flammis purgatricibus luctuere cogetur, quod stabilitur hæc historia. Pater Constantius à Salvatore Capucinus, Vir magnæ Sanctitatis, paucis à morte diebus cuidam fratri apparuit, à quo cum de statu suo interrogaretur, respondit: Heu, heu frater, quam districta DEI judicia sunt, atque ab hominum sensu & sententia remota! Nam quæ plerumque censentur à viventibus virtutes, apud DEUM inter vitia numerantur. Equidem DEI misericordia salvus sum; verumtamen per triduum in purgantibus flammis tam diras pœnas sustinui, ut ibi me per tria annorum millia fuisse crediderim. Et causam tanti supplicii addens dixit: Cum enim essem Superior, contraxi quasdam maculas, quas nec maculas esse judicabam. Etenim prætermisi quædam mei officij, quæ à DEO summo rigore ponderata sunt. Deinde in concedendis recreationibus indulgentior in fratres sui, quæ res persæpe dissolutiones generavit. Quo dicto recessit. Vides ergo mi frater, quam difficile sit sine nævo officia Religionis obire, cum nec id præstare potuerit præfatus Pater, licet esset magnæ perfectionis & Sanctimonie Vir. Conspicis etiam quam severe Divina justitia in Superioribus ob admissos seu commissos defectus sæviat. Proinde fuge curam aliorum, quam consuluit Jacobus, & adhortatus est Sapiens dicens: *Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris*; Si de corpore unius tam acriter judicatus est Cain dicens; *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Quam acriter & acerbius judicabitur, qui non solum de corpore unius, sed de multorum animabus rationem esse redditurus clamantibus adversus eum coram Judice incorrupto? Et ideo advertit Ecclesiastes ita accidere multis Dominium requirentibus dicens. *Interdum do-*

Historia.
Beverius
in Annal.
1587.

Eccel. 7. v. 2
4.
Genes. 4.
v. 9.

C. 8. v. 9.

minatur homo homini in malum suum. Explicat Interlinealis, Quia sanguis subditorum de manu ejus requiritur.

C. 34. v. 2.

In cap. 20.
Matth.

17. Hinc Væ innotatur Pastoribus per os Ezechielis dicentis: Væ Pastoribus Israël. Et hæc cominatio non solū ambitiosos sed etiam legitimè electos & à DEO vocatos concernit; si nempe, ut idem Propheta loquitur, non gregem sed semetipfos pascant, si quod abjectum erat, non reducant, & quod perierat non quærant, si confractum non alligant, neque infirmum consolidant. Huic Sententiæ etiam assentit D. Chrysostomus his verbis: Si, qui necessitate compelluntur (intelligit ad Prælationem venire) nullum poterunt habere refugium, neque ullam excusationem reperient, quando res malè tractaverint, & quando negligenter administrationem gesserint suam; quanto amplius, qui cum studio & ambitione petunt Principatus, severiùs punientur? Hæc seriò meditantes tot Sancti Prælaturam fugerunt, aut omnino coacti acceptarunt, aut habitis renuntiârunt, ut paulò ante dictum. Inter quos fuit Beatus Thomas à Villanova superiùs etiam adductus, de quo legitur, quòd vocatus ad Archi-Episcopatum Valentinum, cum amici de hoc congratulaturi ad illum accederent, tales congratulationes accipere renuit, electionem suam, pænam reputans non favorem, pro qua plandus potiùs quàm congratulatio deberet fieri. Quære ergo, Frater chare, imitari hunc & alios verè sapientes, non enim errabis, edoctus à Sancto Spiritu, & ductus tantis exemplis. Armare igitur hinc contra hostem tuum per fugam, ut effugias horribile iudicium coram Iudice tremendo, ne astrictus sis respondere pro alijs, qui tibi non es sufficiens.

18. Pro coronide hujus sermonis quærendum esse censeo, quando nam liceat, aut quis debeat acceptare officium, ad quod quis in Capitulo generali aut Definitorio electus est? Quòd liceat sine violatione voti humilitatis acceptare, consuetudo & communis praxis docet. An verò etiam liceat non acceptare, quàm diu non adest præceptum non videtur esse negandum, partim, quia nunquam similia officia ab Electoribus imponi solent sub Sancta obedientia, & ubi hæc obedientia seu præceptum formale deest, non obligamur, ut expressè sacræ Constitutiones nostræ de obedientia declarant, ad ullam culpam & per consequens sine omni peccato suum officium, ad quod electus est, resignare poterit. Hoc etiam colligitur ex Patre Ignatio qui docet, quod aliquis acceptare possit tale officium sine violatione voti, & non dicit, quòd debeat, ait enim: Qui ergo acceptat non expectato præcepto, hoc votum non violare censetur, neque expectandum est, quasi ad observantiam voti pertineat, licet quidem Lessius admoneat, non esse ordinariè laudabile in his honorabilibus, etiam intra religionem, se promptum & alacrem exhibere, quando imponuntur seu conferuntur. Sed ex humilitate expedire modestè deprecari, & expectare etiam præceptum. Neque hoc fo-

In Turri
Salut. fol.
650.
Dejust: &
jur. l. 2.
c. 46. dub.
5. n. 53.

re contra obedientiæ perfectionem. Et idem P. Ignatius ibidem suadet illis, qui nolunt acceptare sine præcepto formali his verbis: Et ego consulerem, quod, qui ex humilitate vera, officia refugit, & sine præcepto renuit acceptare, taceat ipse, & non aperiatur modum, & hoc relinquit Superioris prudentiæ, qui hoc remedio optimè uti novit, quando illud judicaverit opportunum. Ergo secundum mentem hujus nostri Patris (qui fuit in nostra sacra Congregatione benè meritus vir, ac Sacræ Theologiæ per decennium Lector, nec non Primus definitor Generalis) licet recusare officium, & secundum Lessium, quem citat, subinde expedire præceptum expedare. Neque dici potest, talem expectationem repugnare perfectæ obedientiæ, quæ non expectat præceptum, sed ad nutum obedit. Quia hoc procedit tantum in facilibus, & in quibus non est periculum animæ, aut corporis, sed non in arduis, difficillimis & periculosis. Ita respondent Lessius, Sanchez, Suarez, & Sotus ab ipsis allegatus; qui exemplum ponit in prælatione & Prælatura his verbis: *Ant regiminis onus suscipere.*

Lessius
loc. cit. n.
33.
Sanch. l. 4.
c. 2, n. 30.

19. Cæterum quod hinc silentio minimè est involendum, est, quod nunc dicta tantum locum habeant in eo, qui scientiâ ad hæc munia obeunda respectivè necessariâ, & à constitutionibus requisitâ pollet. Qualis verò doctrina in Provinciali, & in Priore locali præcipuè Conventus Studiorum, nec non in Magistro Novitiorum ac Professorum requiratur, videre poteris apud nostrum Patrem Ignatium, qui fusè de hæc tractat. Qui igitur tali scientiarum notitiâ destitutus est, non solum licitè suum officium resignat, sed insuper tutâ conscientiâ prælationem acceptare non valet, ut clarè patet ex Cajetano 2. 2. q. 185. ar. 3. ubi assert pro hoc Capitulum, *nisi cum pridem, de renunc:* In quo impedimenta assignantur ad Prælaturam, inter quæ ignorantia numeratur, ad quam satis est, quod sufficiens scientia desit ad munus Prælationis rectè obeundum. Et cum in tali acceptatione peccatum committatur, consequenter efficaciter infertur, illam acceptare non posse, licet hoc illi præciperetur sub formali præcepto, cum obedientiæ votum tantum in licitis obliget secundum D. Thomam. Et Navarrus in Manuali c. 4. n. 9. dicit, obedientiam non liberare à peccato illum Confessarium, qui cognoscens se non intelligere, quantum opus est, ad audiendum confessiones, eas audit, & hoc confirmat auctoritate D. Antonini Archi-Episcopi Flor. Quæ sententia optimè applicatur nostro proposito, ut cognoscas, quod in casu isto non teneris obedire, neque obedientiam à peccato te liberare in acceptatione talis Prælaturæ, ad quam tua ignorantia te facit inhabilem ad acceptandum, & à fortiori ad quærendum. Neque Electores sine crimine te eligere possunt, licet alioquin bonitas vitæ in te esset, quia licet ista requiratur, tamen non sufficit; quia præcipuum munus Pastoris est, pascere verbo, quod tu non vales, sufficienti scientiâ destitutus, Ha-

In Turri
Salut. fol.
292. usq;
fol. 310.

2. 2. q. 109.
art. 40.

Hæc
æneus

Genus N. P. Ignatius fol. 298. Hæc frater charè est primariò pro directione mea mihi motaverim, secundariò tamen etiam tibi emolumento esse possunt, relinquens licita tuo libero arbitrio, illicita nunc haud dubiè secundùm dicta declinàre studebis. Vale.



S E R M O,

DE

Paupertate.

Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Matth.

S. V. 3.

PARS PRIMA.

I. **N**ON malè fecerimus, si de encomijs, quibus Sancti Patres virtutem propositam adornant, exordiamur. Etenim auditis his animus magis inflammatur ad eam concupiscendam. Est autem Paupertas spiritûs, rerum omnium Temporalium ob amorem DEI & Desiderium perfectionis voluntaria abdicatio. Hanc porrò Divus Chrysostomus vocitat manu ductricem quandam in via, quæ ducit ad Cælum, unctionem athleticam, exercitationem quandam magnam & admirabilem, portum tranquillum & subjungit ulterius. Nihil opulentiùs eo, qui paupertatem spontè diligit, & cum alacritate suscipit. Similia habet S. Climacus dicens: Paupertas est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad DEUM sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit, ut DEI mandata perfectè exequamur. Sed audiamus etiam quidnam S. Laurentius Justinianus de hac virtute sentiat, dum in hæc proumpit verba; Quid paupertate meliùs? quid securiùs? quid iucundiùs? tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi, hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum cœlestè præstolatur possidere in cælo, ideo nihil habet, quod amittere possit in terra. Frequenter evolat ad supernam Patriam, ubi suam remunerationem esse cognoscit. Hæc S. Laurentius. Et tandem ut S. Ambrosius loquitur, quemadmodum rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic harum abnegatio generatrix & nutrix est omnium virtutum.

Serm. 18.
sup. Ep. ad
Hebræos.

Grad. 17.

In lig. Vit.
er. de paup.
c. 4.

2. Hanc Paupertatem Christus adeò adamavit, ut eam in primo suo ingressu in hunc mundum, velut Matrem incredibili cordis affectu amplexa-